

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Cupiditas x
cum fonte primo

Tria maxime solent homines affectare:
opes, uoluptates, honores;
de opibus prava, de uoluptatibus turpia,
de honoribus uana procedunt.

Nam
opes generant cupiditatem et avariciam,
uoluptates pariunt gulam et luxuriam,
honores nutriunt superbiam et iactanciam.

Innocencius ibidem (de uilitate condicionis
humane).

Tria maxime solent homines affectare:
opes, voluptates, honores.

De opibus prava, de voluptatibus turpia,
de honoribus vana procedunt.

Hinc enim Iohannes apostolus ait:
“Nolite diligere mundum,
neque ea que in mundo sunt,
quia quicquid est in mundo concupiscencia carnis
est et concupiscencia oculorum et superbia vite.”
Concupiscencia carnis ad voluptatem,
concupiscencia oculorum ad opes,
superbia vite pertinet ad honores.
Opes generant cupiditatem et avariciam,
voluptates pariunt gulam et luxuriam,
honores nutriunt superbiam et iactanciam.

Innocentius III, *De miseria condicionis humane*,
2.1 (R.E. Lewis ed., p.145, ll.1-12).